UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt VIII. De triplici via, purgativa, illuminativa et unitiva, & statibus correspondentibus, incipientium, proficientium & perfectorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Tom. 2. profectus Spirit.

egregiè agit R. P. L. Granatensis diversis operum suorum locis, & de mortificatione R. P. Arias. Methodum orandi virtutesque exercendi graphicè depingit liber quidam cui nomen *Ars Deo serviendi.* Qui Tractatus, quique libelli ab eo, qui in oratione proventum facere cupi, diligenter perlegendi sunt, nec ullatenus mentis acies à continuo orationis, mortificationis, & virtutum exercitio unquam deflectenda. His enim destituta oratio, non oratio dicenda est, sed somnus & dormitatio.

CAPVT VIII.

De triplici via, purgativa, illuminativa & unitiva, & statibus correspondentibus, incipientium, proficientium & perfectorum.

Consulendus Ven. P. Dominicus à JESU-MARIA, qui hunc triplicem perfectionis statum in suo tripartito Spirituali sententiario, à Gregorio XV. Pontifice, plurimum commendato, diffusius exposuit. Huncce triplicem statum copiosissimè & doctissimè etiam exponit in sua *Summa Theologia mystica* Philippo à SS. Trinit. *part. 1. 2. & 3.* Antonio à Spiritu S. in *Directorio mystico Tractatu 2. 3. & 4.* & Dominico à SS. Trinit. *To. 7. Bibliothec. Theolog. Sect. 2. &*

CVm doctrinæ morales eò plus soleant utilitatis afferre, quò propius particularia attingunt, visum fuit expedire, tractatis generalibus orationis principiis, ad particularem institutionis hujus praxin descendere, assignando exercitia correspondentia statui, & directioni unicuique juxta gradum orationis quem tenet.

Notandum ergo est Christianæ perfectionis finem situm esse in unione divina mediante charitate & gratiâ. At quia hæc charitas non æqualiter in omnium cordibus diffusa est, cum intrà latitudinem suam multos gradus complectatur, assignant sancti Doctores tres præcipuos Charitatis ejusdem status, penes effectuum, quos in animâ operatur, diversitatem distinctos.

Primus status, sive gradus est incipientium, id est, eorum, qui quasi modò geniti infantes, fiunt Filii Dei per adoptionem. Secundus Proficientium, qui jam vitæ spiritualis incunabula transgressi, in ætatem succrescunt discretionis. Tertius denique perfectorum, eorum nimirum, qui ad virilem, de quâ agimus spiritualis vitæ pervenerunt, maturitatem. Triplici enim hominis ætati tres hosce gradus comparat *S. Thom.* Inchoantium quidem, parvulorum adhuc rationis usu carentium; proficientium eorum, quibus ad res cognoscendas rationis & discretionis lux oriri incipit; perfectorum verò ætati jam virili, in quâ naturæ humanæ perfectio sita est. *S. Bernardus* primam ætatem vocat animalem propter exiguam, quam tunc homo habet de divinis rebus notitiam. Secundam rationalem; tunc enim mentis intuitum in DEUM figere incipit, & ea quæ sunt divina cognoscere. Tertiam spiritualem; quâ homo jam in spiritu ambulans, non solum sensuum, sed rationis quoque humanæ capacitatem transcendit. In primo statu DEUS hominem à malo, atque capitali suo inimico peccato avertit. In secundo ad bonum amplectendum inducit. In tertio, in bono jam adepto reddit stabilem & perfectum. Agit enim DEUS hac in re non aliter atque agens aliquod naturale; ignis enim, verbi gratia, primùm qualitatem suam calorem in lignum introducit, frigus expellit, calorem intendit, paulatimque lignum ad ignis formam disponit, donec tandem ultimâ dispositione positâ in ignem transmutetur.

Pari ratione tribus hisce statibus, tres viæ correspondent: Purgativa, illuminativa & unitiva. Purgativa, quâ à peccatis purgentur, Incipientium est. Illuminativa, quâ virtutes acquirantur, proficientium; Vnitiva, quâ DEO fervidis actibus amoris uniantur, perfectorum est. Priusquam enim anima ad viam unitivam, in quâ perfectio charitatis reperitur, perveniat, necesse est, ut per viam purgativam, veteres maculas emundando, incedat; ab hac illuminativa virtutum acquisitione pertranseat, tandemque DEO magis magisque adpropinquans, ad amorosam animæ suæ in DEUM transformationem, quæ in via unitiva consummatur, pertingat. Quorum quidem non alia convenientior assignari potest ratio, nisi quod amor tria exerceat officia, ita sibi mutuo concatenatâ, ut unum ex altero nascens, alterius sit dispositio atque origo. Primò ergo amor afficit & movet amantis voluntatem. Secundo eam rei amatæ assimilat. Tertiò unit atque transformat amantem in rem amatam. Quæ omnia triplici hâc viâ exercet amor noster, DEUS noster: Primum enim movens atque afficiens sui amore animam, per veram contritionem ab omni peccato & deformitate emundat; Deinde variis virtutum perfectionibus adornando magis divinæ majestati ac decori similem ac conformem reddit. Denique totaliter sibi assimilatam in seipsum transformat. Non secus ac in vetusto ferro ignis primùm æruginem expurgat, frigus expellit, naturali suo inducto calore ferrum sibi assimilat, donec emollitâ duritie, integrè accensum ac intimè unitum, perfectè in se transformet.

quinque locis alibi. *Ep. edit. de mens Dei.* *2. 2. q. 24. a. 9.*

S. Bonavent. tres hosce gradus, quos divina gratia secundùm uniuscujusque profectum operatur considerans, tres quoque diversas operationes, & officia gratiæ & charitatis in anima assignavit. Primum, inquit, est *vigor virtutis.* Secundum, *splendor veritatis.* Tertium, *fervor charitatis.* Primùm vocat *virtutis vigorem*, quo nimirum anima per virtutem gratiæ ab omni peccatorum labe emundatur, qui propriissimus est viæ Purgativæ (quâ anima totaliter purificari debet) effectus. Quia verò hoc particulare opus est dexteræ excelsi, *vigorem virtutis* nuncupavit. *Splendor veritatis*, ad viam spectat illuminativam, quâ continuâ passionum mortificatione, & pleniori DEI cognitione, majorem lucem anima acquirit; *fervor* denique *Charitatis*, propria est viæ unitivæ operatio, quâ anima totaliter in DEUM transformata unum quid cum eo efficitur.

CAPVT IX.

Qui sint effectus & operationes harum trium viarum: Purgativæ, Illuminativæ & Vnitivæ?

VArii sunt ac multiplices harum trium viarum effectus & operationes, licèt omnes ad unum eundemque finem ordinentur. Purgativæ imprimis officium est, purgare & perficere sensus: Illuminativæ rationem. Unitivæ spiritum sive mentem superiorem, nimirum animæ portionem. Primùm enim DEUS hominem sub peccati tyrannide militantem suo volens subjicere imperio, atrium vestibulumque animæ exteriùs, sensus externos dico, totamque; inferiorem sensitivam partem debellat, ac deinde murum & mœnia Civitatis, rationem, ipsamque civitatem, intellectum. Denique & civitatis arcisque humanæ Reginam voluntatem suo captivat dominio, atque ita tandem prædictas hominis vires per peccatum labefactatas destructis peccati vinculis mirum in modum purificat atque fortificat. Vires, inquam, irascibilem & concupiscibilem, inspiratis ex divinæ potentiæ, justitiæque consideratione humilitatis contritionisque actibus. Rationem, quâ accuratè divinam sapientiam agnoscat, illustratione. Voluntatem verò purum ei infundens suæ bonitatis